



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 11. Dalmatarum indicio Picentes eam agnoscunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

parum, sed diuino quæsitum consilio, vel illud argumen-
to est, quod in ipsa quoque sylua, eundem plane situm à
B. Virgine optatum (vt egomet intentius obseruauit) ve-
stigia, quæ exstare diximus, satis ostendunt. Idem fortas-
se in colle fratrum accidit: nam ex obscuris vestigijs iudi-
cari non potest. Forassis idem quoque in Dalmatica se-
de vsu venit: nihil enim comperti habemus. Sane res ip-
sa consentanea est. Sacrosanctam quippe Domum duo
præcipua mysteria, ortus B. Virginis, & æterni Verbi cõ-
ceptus insignem fecere; quorum ille fere in autumnale,
hic in vernum incidit æquinoctium. Igitur haud immeri-
to eam sol per vtrumque æquinoctium lustrat, sic prorsus,
vt velut illorum mysteriorum memor, & sub ortum, & an-
te occasum Deiparam Virginem pene ambitiosè adire, &
quodammodo salutare videatur.

*Dalmatarum indicio Picentes natalem B. Virg. Do-
mum penes se esse cognoscunt. Cap. XI.*

Sed vt ad rerum ordinem, vnde egregij situs admira-
bitio auertit cursum historiae, redeamus; mira primo
Recinetensibus noua Aedis migratio videri; deinde etiã
grata, iucundaque esse. Namque multiplicato trina mi-
gratione miraculo, vt creuit fama; & admiratio loci; sic
Deus parentis suæ venerationem apud accolae pariter, &
exteros auxit. Vtique cum sub id tempus nunciata Naza-
rena, Dalmaticaque eiusdem Domus migratio Picentium
animis ingentem incussisset metum, ne sacra Aedes ipsos
quoque; præsertim duobus iam locis violata, aliquando
defereret. Iam dudum per mercatores, Aedis Lauretanæ
rerumque admirabilium fama in Illyricum perlata, Dal-
matas nonnihil suspicantes ad inclytam miraculis ædem
visendam, Picentiumque pietatem æmulandam accende-
rat. Dalmatarum ergo nonnulli Lauretanum contem-
plati

*Prep. Tere.
Hier. Ang.*

plati, sacellum (vt erat recens Illyricæ migrationis memoria) haud ægrè scilicet agnouerunt. Itaque obortis lacrymis, venerationis munere perfunguntur. mox velut refricato vulnere, ac desiderio ex amissi boni conspectu ingemiscetes, suum detrimentum effusè deplorare cœperunt. Aedem illam, quæ tum in Piceno tanto mortaliu concursu celebraretur, paribus ferme populorum studijs nuper in Dalmatia celebratam. Natale illud Virginis rectum Illyricis primum è Galilæa diuinitus missum, quo tum Picentes transmissio è Dalmatia fruerentur. Id & cælesti indicio enunciatum Dalmatis, & destinatis in Galilæam certis hominibus exploratum. Agnoscerent proinde, & impensius colerent Picentes cæleste donum, ne quod alijs euenisse audiant, ipsis eueniat: & cuiusmodi tandem illud munus sit, carendo magis sentiant, quam fruendo. Se quidem nequaquam desperare (si optatis vota respondeant) illam ipsam Virginis Domum in Illyricum, vnde paucis ante annis abierit, redituram. Hæ & alia tales Illyricorum voces, quòd nouæ ad Picentium aures acciderent, (nondum enim quicquam de Nazarena, & Dalmatica migratione fando audierant) à plerisque pro vanis habitæ, irritæque. Cæterum breui noua res diuinitus oblata eas esse veras ostendit.

Heremita B. Mariae monitu Picentes ad rem explorandam impellit. Cap. XII.

*Præp. Tere.
Hier. Ang.*

Collis est nemori, ac sedi, quam in Piceno primam Virgo Deipara elegerat, satis propinquus. Montè Vrsu incola appellat. Huc receperat se paucis ante ante annis homo solitarius egregia sanctitate, sacrosanctæ cellæ propinquitatem secutus. nomen non proditur. Illū ipsum fuisse Paulum à Sylua, cuius deinceps mentionem facturi sumus, vt credam, inclinat animus. Is igitur, vt
erat